DE JESU CHRISTO
POST MORTEM GLORIFICATO
THESES
EX SACRA SCRIPTURA EXCERPTÆ

QUAS SUB AUSPICIIS

ILLUSTRISSIMI AC REVERENDISSIMI

JOSEPHI M.Æ PERUTII
EPISCOPI VICETINI

PRÆLATI DOMESTICI ET PONTIFICIO SOLIO ASSISTENTIS

PUBLICE PROPUGNANDAS EXPONIT

MICHAEL ANGELUS BEGGIATO

SEMINARII VICETINI ALUMNUS

PRÆCEPTORE ET ADIUTORE

JOANNE FACCI
IN EODEM SEMINARIO SACRÆ SCRIPTURÆ LECTORE.

Unicuique post tertium argumentandi facultas datur more Academico.





VICETIÆ
EX TYPOGRAPHIA MUSCHÆ
MDCCCXX.

Pater, venit hora, clarifica Filium tuum.

Christus apud Joan. 17.

DE JESU CHRISTO POST MORTEM GLORIFICATO

THESES

EX SACRA SCRIPTURA EXCERPTÆ

I. Jesus Dei Filius et Christus *virtutibus, et prodigiis, et signis*, tum oraculis omnium Prophetarum divinitus declaratus, tamen (quia Deus voluit " *per eum reconciliare omnia in ipsum* ,, *pacificans per sanguinem crucis ejus, sive quae in* ,, *terris, sive quae in cœlis sunt* ,, (a),) invidia et odio principum Judæorum cruci affixus fuit, in qua demum expiravit: cui etiam latus paulo post a milite lancea apertum fuit. Hanc vero mortem a Jesu Christo in conspectu Judæorum, et advenarum, qui ad festum Paschæ celebrandum ex omnibus pene regionibus Jerusalem convenerant, oppetitam omnes Evangelistæ memoriæ prodiderunt, hanc ipsi etiam veteres inimici, non solum Christiani omnes semper testati sunt: ita ut mirum videri debeat unum aliquem adeo non modo

---

(a) *Ad Col.* 1.

impium, sed etiam impudentem extitisse, qui morti Redemptoris tam manifestæ, et publicæ quasdam tenebras, quasi ea dubia esset, et incerta, offundere conatus sit.

II. Deinde sacrum corpus Jesu exangue, cum e cruce sublatum fuisset, et aromatum quasi libris centum conditum more Judæorum, in monumento novo, et in rupe exciso positum fuit. Mox milites consilio et opera principum Sacerdotum, et Pharisæorum, et consensu Præsidis Romani ad sepulchrum collocati; tum vero lapis, quo aditus unus sepulchri claudebatur, publica auctoritate obsignatus est (*a*). Quam hic Dei providentia elucet, qui, dum corpus Filii sui eo triduo, quo in sepulchro jacuit, inimicorum suorum permisit potestati, omnem et ipsis, et cæteris incredulis universis facultatem ademit calumniandi miraculi, quod omnium maximum jam facturus erat!

III. Nam primo die hebdomadæ, qui dies a morte Jesu Christi tertius fuit, *Deus glorificavit Filium suum Jesum.... quem suscitavit a mortuis* (*b*). Ille igitur, præsentibus excubiis, e sepulchro redivivus, et immortalis egressus est.

IV. Idque miro et terrifico apparatu, qui subsecutus est, omnibus patere voluit. Nam

(*a*) *Matth.* 27. *et Joan.* 19. (*b*) *Act.* 3.

orto, jam die, terra magnis concussa motibus, "Angelus Domini descendit de cælo, et ac-
,, cedens revolvit lapidem, et sedebat super eum ".
Cujus aspectu, tamquam fulgure, micanti exterriti vehementer custodes, et facti velut mortui, mox fugam cepere: omnia etiam, quæ facta sunt, a quibusdam illorum ad principes Sacerdotum in civitatem, delata. Tum Angelus piis mulieribus, quæ Jesum quærentes accesserant, vacuum ostentans sepulchrum: "*Non est hic*, inquit; *surrexit enim, sicut dixit*:
,, *venite, et videte locum, ubi positus erat Domi-*
,, *nus* (a). Hinc profecto intelligimus Resurrectionem Jesu Christi, ubi ea evenit, non modo amicis, et piis per Angelum, sed etiam inimicis, et impiis per custodes sepulchri annuntiatam fuisse.

V. Nam rumor ille, quem postea milites de commentitio Apostolorum furto inter Hebræos sparsere, a principibus Sacerdotum de sententia seniorum emptus fuit grandi pecunia (b). Atque ita illi quidem, ut ait Sanctus Joannes Chrysostomus "*frustra contra veri-*
,, *tatem decertantes per ea, quibus illam obscurare*
,, *satagebant, splendidiorem vel inviti reddiderunt*.
,, *Nam hoc Resurrectionem confirmat, quod dicunt*
,, *discipulos illum furatos esse: confitentur enim*
,, *corpus tum ibi non fuisse. Cum autem confi-*

(a) *Matth.* 28. (b) *Ibidem*.

„ *teantur corpus ibi non fuisse, furtumque falsum*
„ *et incredibile declarent militum praesentia, si-*
„ *gnacula, discipulorumque timiditas, indubitata*
„ *hinc Resurrectionis demonstratio eruitur* (a).

VI. Quod vero ad hanc veritatem multo etiam manifestius demonstrandam reliquum erat, Jesus se ipse conspiciendum obtulit, *non omni populo, sed testibus praeordinatis a Deo* (b). Ille enim primum Mariæ Magdalenæ prope sepulchrum, tum aliis mulieribus occurrit in via, easque allocutus ad discipulos suos nuntias misit. Cum Apostolis vero, et cum cæteris discipulis quomodo egit, quanta vi, ut incredulos primum de Resurrectione sua, et hæsitantes perfecte pleneque convinceret! Ille Petro omnium principi, ille duobus discipulis Emmaus proficiscentibus, ille Apostolis in unum congregatis, et mensæ accumbentibus apparuit, absente Thoma. Cum vero illi
“ *conturbati, et conterriti existimarent se spiritum*
„ *videre: Quid turbati estis*, inquit, *et cogitatio-*
„ *nes ascendunt in corda vestra? Videte manus*
„ *meas, et pedes meos, quia ego ipse sum: pal-*
„ *pate, et videte: quia spiritus carnem, et ossa*
„ *non habet, sicut me videtis habere.* (c) „ Deinde partem piscis assi, et favum mellis a discipulis oblatum comedit. Jam vero Thomæ cæterorum de Resurrectione Magistri sui testi-

(a) *Hom.* 90. *in Matth.* (b) *Act.* 10. (c) *Marc.* 16. *Matth.* 28. *Luc.* 24.

monium rejicienti, nisi ipse veritatem vidisset oculis suis, ac manibus tetigisset, poteratne ea fortius probari, quam probata est? Nam idem Jesus post dies octo cum in medio discipulorum suorum stetisset: *Pax vobis*, dixit, deinde Thomæ, ostensis vulnerum insignibus, quæ in cruce acceperat: " *Infer*, in-
" *quit*, *digitum tuum huc*, *et vide manus meas*,
" *et affer manum tuam*, *et mitte in latus meum*:
" *et noli esse incredulus*, *sed fidelis*. *Respondit Tho-*
" *mas*, *et dixit*: *Dominus meus*, *et Deus meus* "(a).
Quid plura? Nam illis diebus quadraginta, quibus in terris versatus est, sæpissime discipulis sese conspiciendum dedit et in urbe Jerusalem, et ad mare Tiberiadis, et in monte Galilææ, modo paucis, modo pluribus; imo vero D. Paulus refert eum plusquam quingentis fratribus simul congregatis apparuisse, ex quibus multi adhuc superstites erant, cum hæc Apostolus ad Corinthios scriberet (b).

VII. Sane in hac tota Resurrectionis narratione, quæ fingi ab Evangelistis pro lubitu nullo modo potuit, tanta lux veritatis undique emicat, ut ea quemque, dummodo inimicus ejus non sit voluntarius, penitus commoveat necesse sit. In qua narratione

(a) *Joan.* 20. 21.
(b) 1. *ad Cor.* 15.

Christianæ Religionis inimici nihil invenire potuerunt, quod vere objicerent, aut contra dicerent omnino, nisi verba, et sententias sacrorum scriptorum male intelligendo, ac persæpe etiam pervertendo.

VIII. Quæ cum ita sint, cumque Apostoli tot, tamque apertis argumentis Jesum Magistrum suum, postquam obierat, et sepultus fuerat, aspexerint vivum, planeque agnoverint, idque tanta constantia, qua nulla major, affirmaverint, nos illorum testimonio gravissimo, et maximo innixi factum illud sacræ Historiæ mirificum, quod increduli homines profligata impietate, atque impudentia negant, defendimus, scilicet Jesum Christum a mortuis resurrexisse.

IX. Atque eo præterea vehementius Apostolorum testimonium unumquemque convincere debet, quia illi nihil annuntiarunt, quod antea a Prophetis annuntiatum non fuisset. Nam cum Jesus ipse discipulos de sua Resurrectione sæpenumero admonuisset, tempusque etiam designasset, tum antiqui illi sanctissimi viri, et futurorum præscii David, et Osee eamdem longo ante tempore in Redemptoris persona celebrarunt. Ecce ille e cruce pendens perforatis manibus, ac pedibus summo illo in cruciatu Patrem moriturus orat, ut se e mortuis exsuscitet. Jam in sepulchro positus lætatur, ubi

non sui corporis corruptionem, sed *vias vitæ* sibi patefactas intuetur (*a*). Jam de morte triumphans: *Ero mors tua*, exclamat, *o Mors, morsus tuus, o Inferne* (*b*). Nam quid ego Jonam commemorem, qui e ventre ingentis piscis, ubi tribus diebus, et tribus noctibus fuit, ejectus tandem incolumis in terram, Christum Jesum et in sepulchro jacentem, et inde egredientem tertia die tam luculenter adumbravit (*c*)? Quid Isaiam, qui gloriam sepulchri vidit (*d*)? Quid cæterorum vaticinia referam, in quibus Christi Resurrectio aut verbis notata clarissimis, aut eventibus etiam insignibus rerum maximarum, ut in quadam quasi imagine, designata, atque expressa occurrit?

X. Hanc vero Resurrectionis gloriam, qua Deus Filium suum illustravit, alia quadraginta diebus post splendidior, et sublimior secuta est. Nam, ut in divina Historia patet, ille idem Jesus, cum in montem, *qui vocatur Oliveti*, discipulos suos duxisset, inde in altum *videntibus illis elevatus est*, et in nube, qua ab intueuntium oculis susceptus est, superiora cœli penetravit (*e*).

XI. Neque de improviso Christus discipulos suos reliquit, sed eos sæpenumero præ-

(*a*) *Ps.* 15. *et* 21.
(*b*) *Osee* 13.
(*c*) *Jonas* 2. *et Matth.* 12.
(*d*) 11.
(*e*) *Act.* 1.

monendo in tanti prodigii expectationem erexit. Nam cum sermonem de Eucharistia haberet, hanc suam in cœlum Ascensionem, quæ eventura erat, ad fidem discipulorum excitandam in medium adduxit: de hac, tanquam de re ipsis optatissima, morti jam proximus non semel verba fecit: et demum, ubi e sepulchro egressus est, Mariam Magdalenam ad eosdem, quos fratrum suorum nomine honestavit, hoc lætissimo nuntio præmisit: *Ascendo ad Patrem meum, et Patrem vestrum* (*a*).

XII. Quid antiqui Prophetæ? quid David in primis, qui potissimum ad hanc Christi Ascensionem, ad hunc triumphum quasi oculis propius intuendum a divino Spiritu abreptus fuit? quo plausu illum, quibus canticis prosecutus est? „ *Ascendisti in altum,* inquit, „ *cepisti captivitatem.... Regna terrae cantate Deo:* „ *psallite Domino: psallite Deo, qui ascendit super coelum coeli, ad Orientem* “. Tum custodes cœlestis aditus appellans, et quasi excitans: “ *Attollite portas*, inquit, *Principes, vestras, et elevamini portae aeternales: et introibit* „ *Rex gloriae* “. Et Patrem etiam Filio suo e Mundo, Infernoque triumphato reverte nti dicentem audit: *Sede a dextris meis* (*b*).

(*a*) *Joan.* 6. 14. 16. 20.
(*b*) *Ps.* 67. 23. 109.

XIII. Quamquam hæc immensa gloriæ Jesu Christi amplitudo, hæc dignitas ejus infinita nondum in terris emicabat, neque mortalium omnium efferebatur linguis, et præconiis, sed paucorum hominum, qui eum redivivum, et in cœlum ascendentem videre meruerant, conscientia continebatur. Imo inimici, qui eum crucifixerant, nomen adhuc ejusdem, ac memoriam insectabantur. At vero Jesus, antequam hinc abiret, prædixerat non defuturos, qui eum apud homines defendendum susciperent. Nam de inimicis suis coram discipulis verba faciens: „ *Cum venerit Paraclitus*, „ inquit, *quem ego mittam vobis a Patre, Spiri-* „ *tum veritatis, qui a Patre procedit, ille testi-* „ *monium perhibebit de me: et vos testimonium* „ *perhibebitis, qui ab initio mecum fuistis* " (*a*). Hoc igitur Spiritui Sancto, et Apostolis reservatum erat, ut et Jesu Christi sanctitatem doctrinæ, innocentiam vitæ, divinamque missionem in hunc mundum, et injustitiam hominum sceleratissimorum, et crudelissimorum, qui tam nefarias in eum inimicitias, atque odia impia exercuerunt, in universi generis humani aspectum lucemque proferrent.

XIV. Quamobrem paucis diebus, postquam Jesus, relicto mundo, ad Patrem iverat,

---

(*a*) *Joan.* 15.

divinus ille Spiritus e cœlo in discipulos Redemptoris linguarum specie tamquam ignis delapsus est ; et totam urbem Jerusalem, atque adeo orbem terræ universum pene dixerim propter innumerabilem advenarum multitudinem, qui eo ex cunctis nationibus venerant, prodigii magnitudine, ac novitate commovit. Ita enim S. Lucas in Actis Apostolorum (a): " *Cum complerentur dies Pentecostes*, inquit, *erant omnes* (discipuli Jesu ,, Christi) *pariter in eodem loco : et factus est* ,, *repente de coelo sonus, tamquam advenientis* ,, *spiritus vehementis, et replevit totam domum,* ,, *ubi erant sedentes. Et apparuerunt illis dispertitae linguae tamquam ignis, seditque supra singulos eorum. Et repleti sunt omnes Spiritu Sancto, et cœperunt loqui variis linguis, prout Spiritus Sanctus dabat eloqui illis. Erant autem in* ,, *Jerusalem habitantes Judaei, viri religiosi ex* ,, *omni natione, quae sub coelo est. Facta autem* ,, *hac voce, convenit multitudo, et mente confusa* ,, *est, quoniam audiebat unusquisque lingua sua* ,, *illos loquentes. Stupebant autem omnes, et mirabantur, dicentes: Nonne ecce omnes isti, qui* ,, *loquuntur, Galilaei sunt? Et quomodo nos audivimus unusquisque linguam nostram, in qua* ,, *nati sumus? Parthi, et Medi, et Ælamitae, et* ,, *qui habitant Mesopotamiam, Judaeam, et Cap-*

(a) 2.

„ *padociam , Pontum , et Asiam, Phrygiam, et* „ *Pamphyliam, et Ægyptum, et partes Lybiae,* „ *quae est circa Cyrenen, et advenae Romani, Judaei quoque, et Proselyti, Cretes, et Arabes:* „ *audivimus eos loquentes nostris linguis magnalia* „ *Dei* “.

XV. Quid porro tam magnum, tamque admirabile, quid, quod magis ad Christi gloriam redundaret, quam quod ea die discipulis ejus, et Apostolis potissimum contigit, qui in alios homines quodammodo mutati ex illa domo, in qua *propter metum Judaeorum* inclusi se continebant (*a*), in publicum prodierunt tam manifesta indicia Spiritus Sancti, quem acceperunt, præseferentes, ut ille videretur, et audiretur (*b*)? Unde enim hominibus *sine litteris et idiotis* (*c*) tot linguarum cognitio, tam subito adepta, tamque expedita pronuntiatio? Unde illa sapientia prorsus divina, quæ in illis ex hac die, non antea apparuit? Unde illa demum in ejusmodi personis nova, et inaudita animi fortitudo, quæ nulla inimicorum vel potentissimorum vi, nullis suppliciis flecti unquam, vincique potuit?

XVI. Si hæc primis Jesu Christi discipulis mirifice facta in urbe Jerusalem tantopere admiramur, quid, si ejusmodi prodigia et

---

(*a*) *Joan.* 20. (*b*) *Act.* 2. (*c*) *ibi* 4.

Samariæ, et Cæsareæ, et in mediis ethnicorum civitatibus renovata esse animadvertimus, ingenti munerum copia ab eodem Spiritu in Christianam societatem nullo vel sexus, vel ætatis, vel generis discrimine effusa (a)? Nonne tunc temporis illud Joelis vaticinium completum est? " *Effundam*, ait Deus, *Spiritum*
,, *meum super omnem carnem: et prophetabunt filii*
,, *vestri, et filiae vestrae: senes vestri somnia somniabunt, et juvenes vestri visiones videbunt.*
,, *Sed et super servos meos, et ancillas in diebus*
,, *illis effundam spiritum meum* ,, (b). An non hæc illa flumina fuerunt aquæ vivæ, quæ Jesus dixit de ventre ejus fluxura, qui in eum esset crediturus (c)?

XVII. Enimvero hæc dona tam mira illud quasi testimonium fuere publicum, et divinum, quod Paraclitus, Spiritus veritatis de Jesu Christo daturus erat (d). Quid enim fuit, quod aut Redemptorem prædicaret gloriosius, aut inimicos ejus gravius condemnaret, quam hoc, eos videlicet, qui a *Synagoga* deficientes sese in Jesu Christi disciplinam traderent, ejus nomine invocato, Spiritum Sanctum per Apostolos accipere, et maximis Dei muneribus, quasi quibusdam notis, et insignibus Divinitatis, ornatos in omnium oculis apparere?

(a) *Act.* 8. 10. 19. *Ep.* 1. *ad Cor. Ep. ad Gal.*
(b) 2. (c) *Joan.* 7. (d) *Joan.* 15. *et Th.* 13.

XVIII. Ad Apostolorum autem testimonium quod attinet, quam vehemens illud erat, quam grave! Etenim Petrus una cum cæteris ex ipso die Pentecostes Jesum Nazarenum Hierosolymis coram innumera pene et civium, et advenarum multitudine prædicare exorsus illum et a mortuis excitatum, et ad dexteram Dei sedentem in cœlis annuntiat, et ex miraculis, quæ palam fecit, commendat populo; illum Dei Filium esse, et Christum, et servatorem hominum a Deo constitutum affirmat. Qua autem libertate, qua constantia et populum, et Sacerdotes, et cæteros Principes Judæorum injustissimæ damnationis coram accusat, quod sanctum virum, et justum a Deo tot signis approbatum, quod auctorem vitæ, quod Messiam, quod Filium Dei occidissent suspendentes in ligno? Quid cætera persequar? Nam historia Apostolorum plena est concionum, quas illi apud populos de Jesu Christo habuerunt, plena monumentorum, quibus patet eosdem magna animi fortitudine nomen Redemptoris, doctrinamque illius ubique intulisse.

XIX. Qui ut rerum, quas annuntiabant, veritate fidentissimi erant, ita etiam præterea miraculis insignes, et miri. Atque ea quidem quam multa! quam fama apud omnes vulgata! Utrum hominem illum claudum referam, quem Petrus ad januam Templi

verbo sanum fecit? An Ananiam, et Saphiram ejus uxorem, increpante eodem Apostolo, quod Spiritui Sancto mentiti essent, morte divinitus immissa, repente extinctos? Plura, et magna S. Lucas simul complexus: „ *Per manus*, inquit, *Apostolorum fiebant signa*, „ *et prodigia multa in plebe . . . ita ut in pla*- „ *teas ejicerent infirmos, et ponerent in lectulis*, „ *ac grabatis, ut, veniente Petro, saltem umbra illius* „ *obumbraret quemquam illorum, et liberarentur* „ *ab infirmitatibus suis . Concurrebat autem et* „ *multitudo vicinarum civitatum Jerusalem affe*- „ *rentes aegros, et vexatos a Spiritibus immun*- „ *dis, qui curabantur omnes* (*a*). Quid de aliis discipulis dicam? Num Stephani miracula memorem? An Philippi? An cætera, quæ in eodem libro referuntur?

XX. In quibus quantus Christus Jesus enituerit, vel ex eo intelligi potest, quod ea opera mira et divina, quæ ille ipse discipulos suos facturos esse prædixerat (*b*), ejusdem nomine, ac potestate fierent. Quod Petrus non solum verbo coram populo, et in conspectu publici concilii, sed etiam ipsa re declaravit (*c*): et cæteri præterea discipuli ostenderunt sic Deum deprecati, ut manum suam ad *sanitates, et signa, et prodigia per nomen Sancti Filii* sui *Jesu* patranda extenderet (*d*).

(*a*) *Act.* 5. (*b*) *Joan.* 14. (*c*) *Act.* 3. 4. (*d*) *Ibi* 4.

XXI. Hinc depulsa ab Apostolis per gratiam Spiritus Sancti densissima illa erroris caligine, quæ jandiu mentes Judæorum obcæcaverat, his tandem faustissima fidei Christianæ lux affulgere visa fuit, qua tota urbs Jerusalem, et omnis Judæa, magna animorum conversione facta, vehementer commota est. Si Petrus duabus concionibus homines ad octo millia ad Christum perduxit, quam multos postea et ipsum, et cæteros Apostolos perduxisse putabimus? Nam, ut S. Lucas ait: „ *Verbum Domini crescebat, et multiplicabatur discipulorum numerus in Jerusalem valde:* „ *multa etiam turba Sacerdotum obediebat fidei* " (a), ita ut ingens ibi Christianorum Societas ab innocentia morum, et virtutum omnium præstantia laudatissima conflata sit.

XXII. Ex his igitur tot, ac tantis rebus divinitus gestis, quas ex Actis Apostolorum hausimus, illud intelligimus, quantis Jesus Christus, Dei Filius gloriæ monumentis, ubi Spiritum Sanctum in terras emisit, per Apostolos suos jam inde ab initio promulgationis legis Evangelicæ in Judæa, ac primum Jerusalem, ubi infanda omnia pertulit, opprobrio crucis penitus deleto, claruerit.

XXIII. Atque ibi etiam eo magis Redemptor claruit, quo fides ejus Ecclesiæ sanguine primum Stephani fortissimi juvenis, tum multorum præterea aliorum, qui eadem de

(a) *Act.* 6.

causa occisi sunt, confirmata, et quasi obsignata, nobilior, et illustrior facta est; tum vero latius ab iis propagata, qui in eo tumultu, ac furore inimicorum per varias regiones hac illac dispersi sunt: quorum alii Samariam, alii Antiochiam, alii in Phæniciam, et in Cyprum (a) cœlestem illum ignem intulerunt, quo ipsi a Spiritu Sancto succensi erant: ita ut fugæ, lapidationes, carceres, cædes Christianæ Religionis cursum, quo gloriose ferebatur, non modo non inhibuerint, sed etiam mirum in modum quasi quodam stimulo incitaverint, velocissimeque extenderint.

XXIV. Nam quid ego in tot Christianæ Religionis triumphis Saulum illum commemorem, inimicum Christi omnium acerrimum, et infestissimum, qui cum *Spirans minarum, et caedis in discipulos Domini* Damasco sub meridiem appropinquaret, ingenti luce e cœlo emissa, repente circumfusus, et ea voce Jesu Christi, *Saule, Saule, quid me persequeris*, prostratus, statim in Apostolum ejus fidissimum, et amantissimum mutatus est? Quid ad ostendendam Christi potentiam hac victoria pulchrius? quid ad ejus nominis claritatem gloriosius (b).

XXV. Neque nobis adversarii objiciant, quod solent, plerosque Judæos, et principes populi fidem Christi amplexos non fuisse, sed in majorum suorum Religione, et cæremoniis

(a) *Act.* 8. 11.

(b) *ibi* 9.

permansisse, non hæc, inquam, objiciant: Nam si ea facta, quæ a multis aliis credita sunt, et profuso etiam sanguine defensa; eadem illi propter miram quandam ac pene incredibilem animi in falsis opinionibus pertinaciam non crediderunt, id nihil Christi nomini officere potest; imo vero etiam illud commendat quam maxime, atque illustrat. Etenim ejusmodi Judæorum incredulitas non minus a Prophetis annuntiata fuit, quam divina idcirco in eos ultio, quam illi adhuc sustinent non ante a se recessuram, quam planctu magno aspiciant in eum, *quem pupugerunt* (a).

XXVI. Sed Prophetæ etiam, tam multis Hebræis deficientibus, populos et nationes viderunt totius orbis terrarum ad lumen Fidei a Deo vocari, et ab alienis Christum recipi, quem sui repulissent. „ *Ille desideratus cunctis* „ *Gentibus*, a quo omnes erant benedicen- „ dæ (b): *Ille loquetur pacem Gentibus, et pote-* „ *stas ejus a mari usque ad mare, et a flumini-* „ *bus usque ad fines terrae* ". (c) Viderunt quoque discipulos ejus, et Apostolos, qui ex Judaica illa defectione erepti, et servati „ *ad* „ *gentes in mare, in Africam, et Lydiam ten-* „ *dentes sagittam; in Italiam, et Graeciam, ad* „ *insulas longe* " mittendi erant, ut omnes fratres suos de cunctis Gentibus ad Sanctum

(a) *Zach.* 12. (b) *Ag.* 2, *et Gen.* 22. *etc.* (c) *Zach.* 9.

montem Jerusalem *donum Domino* adducerent. (*a*).

XXVII. Hæc autem oracula per Apostolos Jesu Christi completa fuisse quis neget? Nam, ut ex Actis Apostolorum constat, ubi Petrus cœlesti visione admonitus in Cornelio, Romano Centurione, primitias Gentium Jesu Christo dedicavit, et cæteri Apostoli in variis, et longinquis provinciis, et regnis, tum vero Paulus in primis in Asia, in insulis maris Mediterranei, in Macedonia, Græcia, Italia ethnicos Christi fide imbuendos aggressus est, innumeræ gentes, et populi exultantes gaudio, relictis idolis, cum iis, qui in urbe Jerusalem primi Christo nomen dederant; tamquam rami olivæ inserti, sese in eamdem Religionis societatem conjunxerunt. Nam sonus Evangelii jam inde ab Apostolorum ævo, ut ab eodem Paulo accepimus (*b*), in omnes pene regiones usque ad terminos orbis terrarum penetravit.

XXVIII. Acta igitur Apostolorum, in quibus Christianæ Religionis constitutio continetur, monumentum sunt maximum, et præstantissimum gloriæ Jesu Christi, quem cum nobis Evangelistæ licet magnum, atque adeo Deum divinis in factis, tamen multis ærumnis, et morti etiam turpissimæ, et crudelissimæ

(*a*) *Isai.* 66, (*b*) *Ep. ad Rom.* 10, et *Ep. ad Col.* 1.

subjectum exhibuissent, eumdem in hoc libro ex omni parte gloriosissimum suspicimus, complentem omnia, quæ de Evangelii prædicatione, deque suæ constitutione Ecclesiæ pollicitus fuit, eamque potestatem exercentem, quæ ei *in cœlo, et in terra* data est (*a*), et eo denique cultu ab omnibus gentibus, et populis affectum, qui Filio Dei, Deo vero, et hominum Servatori, ac Liberatori debetur.

XXIX. Quod monumentum a S. Luca Jesu Christo constitutum ab universa Christianorum societate summo in honore semper habitum fuit, summaque cura et diligentia servatum; ita illud altissimis adeo defixum est radicibus, ut nullo impiorum hominum conatu, nulla vi labefactari possit.

(*a*) *Matth.* 28.

24